

coniunctionis diebus non æquatis, & proueniet hora. Sed si diuersitas aspectus in longitudine fuerit tam exigua, ut diuisio per superationem fieri nequeat, tunc multiplica diuersitatē prædictam in longitudine per 60, & productum diuide per superationem Lunæ, & in quotiente prouenient m̄. horarū, & tale productū adde ad tempus uerissimæ coniunctionis diebus æquatis, si inter ascendens & locum coniunctionis fuerint plures gradus quàm 90, uel subtrahe si fuerint pauciores quàm 90; Et ad tale tempus nunc productum quere iterum ascendens & gradus 90, ab ascendente, & distantiam eius gradus à zenith capitū, & gradus mediū cœli, & altitudinem eius in linea meridiana, & gradus Lunæ & altitudinem eius, & distantiam eius à puncto zenith. Illis habitis, quare p̄ omnia diuersitatem aspectus longitudinis & latitudinis sicut prius. Quòd si diuersitas aspectus in longitudine concordat cum præcedente, es expeditus, quam diuersitatem redigas in tempus, & adde uel subtrahe. Adde quidem ad coniunctionem uerissimam diebus æquatis, & non ad coniunctionem, quam prius dixi, uisibilem. Quòd si minuta diuersitatis aspectus longitudinis non respondeant cum præcedentibus, tunc iterum ad illud tempus quod proxime inuenisti, quere gradū ascendentem & nonagesimum &c. & diuersitatem aspectus in longitudine & latitudine. Tunc si diuersitas aspectus in longitudine concordet cum præcedenti, illud tempus præcedens est coniunctio uisibilis, & es expeditus. Quòd si iterum diuersitas aspectus in longitudine non concordet cum præcedenti, tunc toties quære diuersitatem aspectus in longitudine, quousq; sequens concordet cum præcedenti secundum modum iam dictum, & sic habebis diuersitatem aspectus Lunæ in longitudine & latitudine æquatam, cum qua operare ut iam dicitur.

¶ Cum argumento Solis tempore ueræ ☉ scilicet 2 signis, 17 gradibus, 6 minutis, 50 secundis, in tabulis motus luminarium in una hora, (quas tabulæ resolutæ exhibent) inuenio horarium Solis 2 minorū, 27 secundorum, Cum argumento autem Lunæ, uidelicet, 4 signis, 27 gradibus, 42 minutis, 38 secundis, reperio 36 minuta, 8 secunda, à quibus subtraho horarium Solis motum, & remanent 33 minuta, 41 secunda, superatio scilicet Lunæ in una hora, per quam diuido diuersitatem aspectus Lunæ in longitudine, cumq; ea diuersitas adeo sit exigua, ut diuisio fieri nequeat, eam duco in 60, & proueniunt 240, quæ diuido per 34 minuta, proueniunt 7 minuta distantia inter ueram & uisibilem, hanc addo tempori ueræ ☉ diebus æquatis, cum locus ecclipticus distet ab ascendente pluribus 90 gradibus, & habebis uisam, die 32 Augusti, hora secunda, minutis 22 à meridie, ad hoc tempus rursus inquiri ascendens, medium cœli, nonagesimum gradum ab ascendente, altitudines quoq; mediū cœli, nonagesimi gradus ab ascendente, ac loci eccliptici, Ac distantias horum à zenith capitum, sed quia tunc in longum latitudinēq;